[a Pſal. 44. 2. pſ. 118. 171. & ad Matth. c. 13. 35] David aliquoties eructandi verbo uſus eſt a faucibuſque A ſuis dulcia cecinit eloquia Dei fuiſſe, ſuper melori b ſuo.

[b pſal. 118. 103] *Et juſtitia tua exultabunt.*) Hieron. & Auguſtinus in Speculo; *& juſtitias tuas laudabunt*: legit primus צדקות *tſidkoth* pluraliter, non ſingulariter, & in regimine צדקת *tſidkath*, quo pacto nunc extat tum Hebr. tum Chaldaicè, Græcè etiam in dativo τῇ δικαιοσύνῃ, ideſt, propter juſtitiam tuam. Ultimo verbo reſpondet ἀγαλλιάσονται & ירננו *jerannenu*, de quibus actum ſæpè. Juſtitiam quoq; pro miſericordia non raro ſumi, alias vidimus; & alia translatio apud Chryſoſtom. in plurali numero habet ἐλεημοσύνας eleemoſynas, aut miſericordias. Chaldaicè; *juſtitiam tuam laudabunt*. Arabicè, *in juſtitia tua exultabunt*. Omnis hæc exultatio ſpectat ad laudem Dei, ut ſcilicet voce contentiore, ac etiam jucundiore laudetur Dei juſtitia, ſive ut hæc à miſericordia non differt, ſive ut ſignificat vindictam de opprimentibus innocentes: ſive ut eam juſtitiam, qua Deus juſtificat, & quidem gratis. Quo pacto liceat juſto *lætari cum videt vindictā*, dictum eſt Pſalmo 57. *c*. Ipſemet Chriſtus exultans in Spiritu [c verſ. 11.] ſancto confeſſus eſt, egitq; gratias Patri, quod abſcondiſſet à ſapientibus, & prudentibus myſteria *d*. In iſtis omni- B bus verſibus crebro inculcator, ac verbis *exultandi*, *laudandi*, *loquendi*, *narrandi*, *dicendi*, *eructandi*, *exultandi*: ut Deus celebretur à nobis; nec deeſſet cuique verbo proprium ſuum pondus, ſi exacta notio perpenderetur in ſingulis; etſi fatendum quædam eſſe ſynonyma. [d Matt. 11. 25. Luc. 10. 21] Nefas profecto deberet eſſe, ut Philo *e* ſcripſit, per os quidquam turpe egredi, quo ſanctiſſimum Dei nomen profertur: [e de decal.] quæ venia vero dabitur, aut quæ ſupplicia non pendet, ut Chryſoſtom. *f* conquerendo quærit, qui linguam, qua Domini carnem deguſtat, efficit linguam diaboli? [f hom. 4. ad baptiz.] Thomas vero Aquinas mirari ſatis non poterat religioſum alia de re, quam de Deo ſermocinantem, immo cogitantem *g*. Non placet, quod aliqui *h* juxta lectionem Hilarii, *juſtitiam tuam exultabunt*, ajunt ſignificari, quod actione, & non intranſitive ſumendo iſtud verbum, *lætificabunt*, & *exultare facient juſtitiam Dei*. [g 1 p. Chro. Domin. lib. 3. cap. 17] Idem hìc ſenſus, qui Pſalmo 50. *i* *Exultabit lingua mea juſtitiam tuam*, ubi eadem verba Hebr. Græcumq; quæ habentur hoc loco תרנן *therannen*, & ἀγαλλιάσεται, & ex tranſlatione Symmachi διαλαλήσει *prædicabit*, quemadmodum [h Diaz in feſto omn. Sanctor. conc. 2.] [i verſ. 16] etiam nomen ἐλεημοσύνης ponit pro δικαιοσύνης, quod C hìc quoque fieri numero plurali antea monui. Eodem præterea Pſal. retuli nonnullos legere in dativo δικαιοσύνῃ, *Juſtitia exultabit lingua mea*, ideſt, propter juſtitiam tuam, quæ lectio præſentis loci eſt. Ibidem docui juſtitiam à qua propriè denominatur homo juſtus, dici juſtitiam Dei, ſive Chriſti, quia ipſius munere, gratiaque, & Chriſti meritis datur; atque ut detur, meruit Chriſtus ſecundùm juſtitiam, quem & *nobis factum juſtitiam* ſcribit Paulus *k*. [k 1 Cor. 1. 30]

Verſ. 8.) Miſerator, & miſericors Dominus, patiens, & multum miſericors.

Verſ. 9.) Suavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.

[Senſus loci.] ERuctat ipſemet David abundantię ſuavitatis divinę memoriā, & exultando laudat juſtitiam Dei, quę pro miſericordia ſumitur, non contentus antea dixiſſe id facturas omnes generationes. Vel etiam aperit, & præſcribit formulam, qua res ea tanta, Deoque tam honorifica, & cunctis adeo honeſta, utilis, jucunda, exprimi debeat. Nimirum prædicādus eſt Dominus omnium, qui nullius eget, ſed ſibimet αὐταρκεῖ atq; ſufficit; ut actu, habituq; præditus miſericordia; & quidem patiente, ac multas; quam nullæ injuriæ, aut offenſę noſtrę valeant impedire; præterea maximè univerſali, ut nullus homo ſit expers illius, nullum omnino opus, res, creatura extet, ſuper quā non ſit reſpecta, & in qua non aliquod appareat veſtigiū, ac effectus ejuſdem, *Oriri facit Deus ſolem ſuum ſuper bonos, & malos, pluitq; ſuper juſtos, & injuſtos l*. [l Matt. 5. 45] Ne damnatis quidem hominibus, dæmonibuſq; deeſt hæc miſericordia; tum, quia *miſericordia Dei eſt, quod non conſumantur m*, ſed tam excellenti natura conſtent, & conſiſtant: tùm quia puniuntur etiam citra condignum. [Miſericordię encom. m Thren. 3. 22] Quamquam Auguſtin. acute obſervet miſericordiam Domini eſſe ſuper opera ſua, non ſuper opera peccatoris, quæ non ſunt à A Domino; ſed ſeveritatē ipſius circa illa. Euthymius miſericordiam Dei attendit etiam, quod minatus ſit æternas pœnas, ut earum timore peccatores à vitiis abſtinerent, virtutemq; adepti, cœlorum regnum conſequerentur: quod in hac vita caſtiget, ut meliores evadant, aut ut ſaltem in futura vita minores pœnas luant: aut ut hujuſmodi exemplo alii erudiantur. Chryſoſtomus exemplis confirmat etiam Cain, & eorum qui diluvio perierunt. Miſericordia illa magna *n*, quæ præter creationem, & gubernationem, juſtificat, atq; glorificat timentibus Deum ineſt, & invocantibus, & ſcientibus, ut cecinit *o*, alibi Propheta noſter: & filia ejus, materq; Domini Maria *p* & quam Jacobus *q* negari dicit iis, qui non faciunt miſericordiam. [n pſ. 30. 3] [o pſ. 35. 21. pſ. 85. 5. pſ. 102. 7. 11. 17.] [p Luc. 1. 50] [q cap. 2. 13] Hilarius præferri vult miſericordiam, ſicque dici *ſuper omnia opera ipſius*, quia, quod potens eſt Deus, naturæ, ſuæ virtus eſt: quod autem miſericors eſt, ſalutis noſtræ profectus eſt: & plus eſt non ſuis uti, ſed aliis præſtitiſſe, quæ ſua ſunt: atq; ideo præſtat cæteris Dei operibus miſericordia; quia magnifica ejus operatio virtutis ſuæ res eſt, miſericordia vero ejus uſus alienus eſt. Denique vocat hunc apicem divinarum laudum. Egimus hac B de re alias, de qua diſputat quoque Doctor Angelicus in ſumma *r*, videlicet quo pacto cenſeatur miſericordia eſſe in omnibus Dei operibus immo & excellentior omnibus virtutibus. [r 2. 2. qu. 30 art. 4.] Antoninus *ſ* quoque id explicat; quia nobis miſeris maximè redditur commendabilis, amabilis, dulcis miſericordia; quia ubiq; & in omni creatura conſpicitur, in cœlo, terra, inferno, beatis, viatoribus, damnatis: [ſ 4. p. tit. 5. ca. 18. § 9] quia opera, quæ abſolute digna ſunt, ut Dei dicantur eſſe, ſunt opera bona, ſeu virtutis: hæc autem operamur adjuti miſericordia, gratiaq. ipſius, tum præveniente *t*, tum *ſubſequente u*. [t pſ. 58. 11] [u pſ. 58. 11.] Ultimum modum Auguſt. innuit hoc loco, ut præmonui, & poſt illum Proſper, Hilar. rationem ex utilitate. Tranſeunte Domino coram Moyſe, ait Angelus, Dominum deſcribens iiſdem qualitatibus, quæ hic exiſtant *x*. *Dominator Dominus Deus miſericors, & clemens, patiens & multæ miſerationis, ac verax*. [x Exod. 34. 6] Cognominat idem David eumdem *ſuavem, & mitem, & multæ miſericordiæ y*; præterea *miſeratorem, & miſericordem, longanimem & multum miſericordem z*; Joel *a*, *benignum, & miſericordem, patientem, & multæ miſericordiæ, & præſtabilem ſuper malitia*; Jonas *b*, *clementem & miſericor-* [y pſ. 85. 5] [z pſ. 102] [a cap. 2. 13] [b cap. 4. 2] C *dem, patientem, & multæ miſerationis, & ignoſcentem ſuper malitia*; Paulus *c Patrem miſericordiarum*, quem alibi *d patrem* quoque *gloriæ* vocat, quia videlicet ab eo gloria, à quo miſericordia, ſeu gratia, & *gratiam, gloriamque dat Dominus e*: & Chriſtus, qui ſe propoſuit imitandum in mititate, ac humilitate *f*, præcepit ut Patrem ſuum imitaremur in miſericordia *g*. [c 2 Cor. 1. 3] [d Eph. 1. 17] [e pſ. 83. 12] [f Matt. 11. 29. Joan. 13. 15] [g Luc. 6. 36] Chriſtus appellari poteſt ipſamet miſericordia viſcerum Patris *h*, totuſque *oleo* hoc *lætitię* ſuper aliarum virtutum liquores enatante *injunctus eſt, præconſortibus ſuis i*. [h cap. 1. 78] [i pſ. 44. 8] Ita ex oleo comparatione Laurent.* Juſtinan. utitur, aitq; Chriſtianos cognominatos à chriſmate, ſeu ab unctione, toties oleo inungi, ut miſericordiæ non obliviſcantur, videlicet tum acceptæ, tum quā in alios conferre debeant. [* de humil. cap. 10] In eo, qui ſuperiorem non habet, excellit miſericordia, quia boni communicativa eſt, alieniq; defectus ſublevativa. Idcirco Dei maximi proprium fatentur omnes, miſereri, nempè cùm ſit actus purus, alienus eſt ab omni potentialitate, quæ in omni re creata reperitur, neceſſarioq; defectum nonnullum importat, quæ rectè nominari poteſt miſeria. Ratiocinatur ad hunc modum Cajet. *k*, Philo *l* autem D etiā non dubitavit in Deo antiquiorem juſtitia miſericordiā aſſerere, ac proinde in Pſal. 100. profeſſum Davidem ſe miſericordiam, & judicium cantaturum Domino, illam prius, quam iſtud. [k 2. 2. qu. 30 art. 4] [l lib. quod Deus ſit immutabilis.] Reginam vocat Chriſoſt. *m*, (ad illam nos Dei imitatione adhortans, qui ab ea cognomen honorificentiſſimum hoc loco aſſumere voluerit) quam nullus ex eis, cui eſt commiſſa portarum paradiſi cuſtodia audeat examinare, quænam ſit, & unde; ſed omnes eā excipiant: quia Deo ſimiles homines facit. [m hom. 32 in Ep. ad Hebr.] Sed Auguſt. *n*, excitatus encomio miſericordiæ Dei, quod ſic extat, ſic eum convenit. (Tu factor omnium Deus, licet in cunctis operibus tuis ſis mirabilis, mirabilior tamen crederis eſſe in operibus pietatis. [n medit. c. 8] Unde de temetipſo per quēdam tuū ſervū dixiſti, *miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*. Et quaſi de ſingulo loquentem, de univerſo populo tuo te dixiſſe confidimus *o*; *miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo*; nullum enim ſpernis, neminem abjicis, neminem perhorreſcis, niſi qui forte amens te exhorruerit. [o pſ. 88. 34. 2 Reg. 7. 16.] Nam qui cuſtodiunt vanitates fruſtra, ut

[a cap. 2. 9.] ut Jonas *a* cecinit, miſericordiam ſuam, ideſt, Dei erga A ſe, derelinquunt.

Miſerator, & miſericors Dominus.) Hieronym. primo *clemens*. Duo nomina Hebræa ſunt חנון *channun*, & רחום *rachum*. Græca οἰκτίρμων καὶ ἐλεήμων, & aliis in Pſalmis *b*, reperiuntur ſimul, ſed Hebraica ordine inverſo: & רחום *rachum*, viſcera, affectumq; paternum indicat; ſunt namq; רחמים *rechamim*, *viſcera*. [b pſ. 85. 15 pſ. 102. 8] Dixi alias de nominibus iſtis! & Græcum vim ſimilem Hebræo habere ut viſceralem, ſi ita fas eſt loqui, miſericordiam, ſeu commiſerationem involvat *c*. Paulus σπλάγχνα οἰκτιρμῶν uſurpat: & Jacobus *d* jungit πολύσπλαγχνον καὶ οἰκτίρμονα. [c Coloſſ. 3. 12] [d cap. 5. 11]

Patiens.) Hebraicè hìc, & Pſalmo 12. *e* ארך אפים *erech appaim*, *longis naribus*, quia naribus longioribus præditi, ſeu naſo, tardiores ad iram dicuntur. [e verſ. 8] Exponi etiam poſſet, diſtans ab ira, ſeu remotus, ac longius poſitus, vel prolongans iram, quæ ſcilicet ſolet apparere in naſo, & ſpiratione narium. In illo alio Pſalmo, *longanimis*; utrobique Græcè μακρόθυμον; in vetere Pſalterio Latino, *longanimis*.

[f hic, & in Jona cap. 2] [g verſ. 8] *Et multum miſericors.*) Hieroym. *f*, *multæ miſerationis*. B Hebraicè גהול חסד *ghedol chaſed*, legit fortaſſis גדולה *ghedolah* in fœminino in pſalmo 102. *g* רב חסד *rab chaſed*: & propriè *multitudinem* ſignificat; præſentis autem loci nomen *magnitudinem*; ſed promiſcuus horum uſus eſt. In ambobus locis Grecè legitur πολυέλεος: Chaldaicè *multiplices edens beneficentia*, aut *multas ut faciat benegnitates*.

Suavis Dominus univerſis.) Hieron. *bonus omnibus*. Eſt טוב *tob*, & Χρηστὸς, de quibus dictum alias. In emendatis codicibus pro τοῖς σύμπασι *univerſis*, *omnibus*, *cunctis*, extat τοῖς ὑπομένουσι *ſuſtinentibus*: ac eodem pacto extat in Æthiopico Pſalterio. Suſpicor gloſſema initio fuiſſe, quod poſtea immigraverit in textum. Apud nullum reperi, ac nimis reſtringit ſententiam; quam enarratores præſertim Græci non dumtaxat ad bonos, maloſq; verum etiam ad bruta, immo & ad res cunctas inanimatas extendunt, deniq; ad omnia opera Dei, ſicut eſt in ſequenti verſus iſtius ejuſdem ſynonymo membro, fortaſſis dictum gloſſema ſumtus eſt ex Threnis *h*: *Bonus Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum*. [h cap. 3. 25]

C *Et miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.*) Hieron. *& miſericordiæ ejus in univerſa opera ejus*. Vetus Pſalterium Auguſt. Proſper, *in omnia*. Sic non ita commoda expoſitio erit, ut ob particulam, *ſuper*, dicat quis hìc ſignificari, quod miſerationes, ac miſericordiæ Dei ſupereminean, velutique extent ſupra alia opera, quæ concipiuntur præire magis proprie, ac peculiariter ex aliis ipſius attributis, ut ſapientiæ, potentiæ, &c. Vel, quod in ſingulis operibus excellat miſericordia, ſuperexaltetur, præſit, quodammodo dominetur. Verum id quidem; ſed ſimplex ſenſus eſt, quod in omni opere locum habeat miſericordia, nec alium ſenſum fert conſtructio Græca ἐπὶ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ, ſed dici debuiſſet ἐν πᾶσι, vel ὑπὲρ πάντα Apollinarius hoc modo:

Ἔργα κατοικτίρμων ὅσαπερ τεχνήσατο Χειρί.
Opera miſerans quæcumque fabricavit manu.

Quamvis dubitari nequeat, quin reliquorum attributorum ratio quædam ineſſe deprehendatur in omni opere: D & quin aliqua ſint quæ ſimpliciter magis demonſtrent, vel potentiam, vel ſapientiam. *Miſeretur Dominus omnium, diligit omnia, quæ ſunt, & nihil odit eorum, quæ fecit i*, *ſuavis, & verus eſt, patiens, & miſericordia diſponens omnia k*: [i Sap. 17. 24. 25] [k cap. 15. 1] & dum exiſtūnt, ab eadem bonitate conſervantur, à qua eſſe acceperunt; quia ſummum bonum communicativum eſt ſui, & quum res facit, conſervatque, nihil aliud facit, niſi communicat ſeipſum. [Bonum, ſui communicativum.] Citat R. Salomonem Genebrardus, quod ſit major proprietas bonitatis Dei, quam ultionis proportione ad quingenta; quia fere conſervat benignitatem in millia, viſitat peccata in quartam generationem. Deinde quoniam inter tredecim proprietates Dei, plures, ac pene omnes attingunt divinæ miſericordiæ effecta. Toties repetita hìc miſericordia peccatores conſolatione magna afficit. Verum hac de re dictum ſatis hìc prius, & alibi, & Rickelius hoc loco poſt Caſſiodorum, tractans quæſtionem de damnatis.

A *Verſ.* 10.) Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi.

[Senſus loci.] IN vitaverat prius, ſub forma prædictionis, omnes generationes ad laudandum opera Dei glorioſa, ſeu magnifica, & terribilia, atq; amabilia; nunc ipſamet invitat opera, ſuper quæ jamjam dixerat eſſe miſerationes Dei, ut laudent opificem ſuum, quia *ſunt valde bona l*, *& magna, exquiſitaq; in omnes voluntates ejus m*. [l Gen. 1. 31] [m pſ. 110. 2] Quoniam vero prȩſtantius Dei opus Sancti ſunt, ſoliti grato animo, piaq; voluntate meditari cetera opera, & ex iis Auctorem laudare; propterea hos peculiariter invitat. Alia quoq; cauſſa monuit Davidē, ut Sanctos magis provocaret; quia mox dicturus eſt de qualitatibus regni Dei, tum vero etiam de illis, quæ ipſi ut Regi conveniunt: res autem tam excellentes non percipiunt niſi Sancti, quibus eas Deus revelare dignatur; cùm *generatio, & generatio*, ut antea *n* dictum eſt, homines reliqui, ac vulgus hominum opera fere ſola naturalia, quæ ſubjiciuntur oculis, [n verſ. 4] æſtimare, ac laudare ſoleant. Laus creaturarū inanima- B tarum etiam cōſiſtit in hoc, ut homines ex cōſideratione beneficiorum, quæ ipſis proveniunt, inde ad laudandū excitentur Deum. Delectat enim Deus homines in factura ſua, facitq; ut *in operibus manuū ejus exultent o*. Quin etiā tacitis quibuſdam clamoribus enarrant gloriam Dei, [o pſ. 91. 5] quemadmodum & paullo poſt *p* ſpes illis tribuitur in Deū [p verſ. 15] Hominem quidem optima, & maximè eſſentiali oratione definiri arbitrantur, non tam ab uſu rationis, cujus nonnullum & in brutis veſtigium apparet, quam ab ſtudio religionis, diviniq; cultus; ita ut omnis homo, ideſt, exacta illius, & eſſentialis natura dici cenſeatur à Sapiente *q*: *Deum timere, & mandata ejus obſervare*. [q Eccl. 10 13] Non improbabilis omnino expoſitio Agellii, ſi, ſupplendo nomen *homines*, & *opera* in accuſandi caſu ſumendo, dicantur invitari homines, ut confiteantur, atq; laudent opera Dei, quemadmodum in Pſalmo 106. *r* quod habemus, *Confiteantur Domino miſericordiæ ejus*, nonnulli transferunt, *miſericordias*, ut nempè homines eas confiteantur. [r verſ. 8] Attamen melior ſenſus eſt de creaturarum omnium laude, quam exhibeant Deo, ut poſtea magis probabitur. Tres C pueri, ut admonet Auguſt. hoc imitati ſunt, omnibus operibus Domini dicentes, à cœleſtibus uſq; ad terrena, ut benedicerent ei, hymnum dicerent, *ſuperexaltarent eum in ſæcula ſ*. [ſ Dan. 3. 57 & ſeqq.] Non habet mutus lapis, aut mutum animal rationem intelligendi Deum; quod qui putaverunt, multum à veritate aberraverunt. Non aſſentior Auſtino, ſi propriè intelligatur datum Angelis ſenſum, & intellectum, & immortalitatem; hominibus duo illa priora cum mortalitate. Non ſunt ſentiendi facultate præditi Angeli, quæ corporea, & materialis eſt. Id omnino verè dixit, quod tota contextio creaturæ, ordinatiſſimaq; pulchritudo tota laudat Deum: quia cùm eam conſideras, & pulchram vides, tu in illa laudas Deum: & vox quædam eſt, verbi gratia, matæ terræ, ſpecies terræ: cumq; conſideras, ac invenis magnam vim, & magnam pulchritudinem, præclaramque virtutem ejus apud ſe, & à ſe habere non poſſe, continuo venit tibi in mentem, quia non potuit à ſe eſſe, niſi ab illo Creatore: & hoc quod in illa inveniſti, vox confeſſionis ipſius eſt ut laudes Creatorē. Proſper ante Auguſt. redegit in ſummam, quæq; dici hac de D re poſſunt, comprehendit. Quæcumq; ſunt in univerſitate rerum, inquit, à ſummis uſq; ad infima, opera utiq; ſunt Dei; & quamvis rationales tantum, intellectualeſque creaturæ, divinæ laudis affectione moveantur, non fruſtra tamen ad confitendum Deo omnia opera ipſius incitantur: quia nihil eſt tam exiguum, tamque à ſenſu remotum, in quo non mirabilis ſit Creator, quē quum Angeli, & homines confitentur, & laudant, ipſæ infinitæ mundi partes, & ſpecies, atque naturæ ſuum ſemper loquuntur Auctorem: & utilitate, ac pulchritudine ſua immenſam dant materiam laudatoribus: & videntur laudātia, quæ ſunt laudabilia; dum, quod non poſſunt loqui, faciunt non taceri. Paucioribus verbis Caſſiodorus ait, quod aut ipſe per ſe creaturæ laudant Deū, aut per rationales ſubſtantias opera Domini valde bona prædicantur. Ceterum, frequētant verſiculum iſtum Sacerdotes, finita Miſſa, & recitato Trium puerorum hymno, in quo, ut dixi, omnes creaturæ advocantur ad laudandum Deum; præterea Clerici, abſoluto prandio, gratias inde ordiuntur, Corporeæ creaturæ cunctæ ſerviunt humani corpori vitæ ſuſtentandæ; & anima ſuſtentatur potiſſimum vitali

pane, qui à gratia ſumma, quam continet, & confert, atq; à maxima gratiarum actione, quam exigit à nobis, cognominatur εὐχαριστία: eſt autem ibi Chriſtus ipſe, Auctor, & finis omnium operum, rerumve conditarum.

Confiteantur, tibi Domine, opera tua.) Eſt hoc loco יהוה *Jehova* nomen eſſentiæ Dei, eumque deſignans, qui quum ſit ſummet eſſe, communicat ceteris eſſe. Satius autem eſt, quod & antea notavimus, ut ſimpliciter intelligamus, quod opera ipſa confiteantur Domino, nō autem quod homines opera Domini Domino, ideſt, in honorem Domini. Non concludit Genebrardi ratio; quod ſi ἔργα eſſent nominativi caſus, diceretur, ἐξομολογησάσθω, non ἐξομολογησάσθωσαν: nam interdum verbum plurale jungitur nomini neutro, nec ſemper, ac tantum ſingulare. Idem ſit judicium de Pſalmo 106 *a* quem citat Agellius, idem ſentiens licet non nominet Genebrardum, ubi eſt idem verbum plurale, & ε'μεν nomen neutrum, etiam plurale. Immo inde argumentor, quoniam Interpres vertit in recto, *Confiteantur Deum miſericordiæ ejus*, ſic etiā hìc *opera* in eodem caſu accipi voluiſſe. De confeſſione laudis, non vero peccatorum hìc ſermonem eſſe Auguſtinus monet, noſque ipſi ſæpius monuimus.

a verſ. 8

Et Sancti tui benedicant tibi.] Vetus Pſalterium, Romanum, Ambroſianum, & Auguſt. Proſper, Caſſiodor. *benedicent te*: quamvis Faber tribuat Romano, *benedicent tibi*. Hilar. *confiteantur tibi*. Hebræa futuri temporis verba pro imperativi modi verbis poni ſolent. Pro *ſanctis* reddere poſſumus *miſericordes*, & *pios*, qui Hebr. חסידים *chaſidim* Græcè ὅσιοι hoc loco appellantur: *miſericordes* Hieron. tranſtulit. Quod Trevetus dupliciter declarat, velut qui Deum maximè imitantur in re præſtantiſſima valdeq; propria, & quos ipſe miſericordes facit, tamq; præclara virtute ornat, illum quoq; inprimis celebrent; vel ut id præcipuè faciant illi, in quos miſericordiam facit. Quod magis approbat ut conſentaneum idiomati Hebræo, Lyrānus & Ayguanus de Novo Teſtamento explicant, in quo communiter ſanctitas magis viget, atq; per Sacramenta ex opere operato gratia confertur. Hilarius innuit de Sanctis mentionem fieri, quoniam his Deus Rex eſſe dignatur, ſcilicet de cujus regno mox agetur. Sancti porro præſertim cenſentur, beati, & homines, & Angeli; ſed homines etiam adhuc in iſta vita mortali, qui ut ait Chryſoſt. Dei juſſa implent, & ad quos peccatis, & ſceleribus (de venialibus non intelligit) nullus datur aditus. Euthymius videtur interpretari de illis, qui ſunt Deo peculiariter dedicati, & à ſollicitudininibus ſæculi liberati, magiſq; propterea idonei, ut puro corde laudes Dei proferant, tamquam aliis ſapientiores. Affert ſancti notiones decem Ayguanus pro ſanctificante, legitimo, initiato Sacramentis, mundo, caſto firmo, ſanguine Chriſti tincto, perfecto, ſancito; firmiterve conſtituto, ſecreto; atque omnibus iſtis modis docet exponi ſententiam poſſe, ut *benedicant Domino Sancti ipſius*. Noſter David invitat alibi Sanctos ad pſallendum Domino *b*, ad exultandum *c*, ad hymnum dicendum *d*, ad laudandum *e*: item ad timendum *f*, & ad diligendum *g*: nec aliud libentius canticum Sancti canunt in cœlo, quam triſagium *h*, Sanctos illos præcipue debemus nos peccatores provocare ad id pro nobis faciendum; quia non rectè peccator, ut oportet, enarrat laudes Dei *i*, *nec eſt ſpecioſa laus in ore illius k*. Tres pueri canticum ſuum orſi ab Angelis terminaverunt in ſanctis, humilibuſque corde, ac in ſeipſis *l*.

Sacramenta ex opere operato gratiam conferunt.

Sancti notiones decē.

b pſ. 20.5 c pſ. 131. 9 16 d pſ. 148. 14 e pſ. 149. 1 f pſ. 33. 10 g pſ. 30. 14 h Eſa. 6. 3 i pſ. 49. 16 K Eccl. 15. 9 l Dan. 3 85 87. 88

Verſ. 11.) Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.

Verſ. 12.] Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.

Verſ. 13.) Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum: & dominatio tua in omni generatione, & generationem.

Senſus loci.

HOc eſt argumentum, hæcque materia benedictionis Sanctorum, nempè de gloria Regni Dei, ac de potentia ejuſdem, ut eam cunctis hominibus manifeſtent, prædicent, commendent, humilia, atque vilia intelligentibus, & amantibus, quæ propterea etiam fluunt, & pereunt cum tempore quum Regnum Dei excellentiſſimum, potentiſſimumq; maneat in æternum, nec ullus ſit finis ipſius; Regum temporale conſtat ſubditis pauciſſimis opibuſq; tenuiſſimis, Reges ita dominium exercent in ſubditos, ut pendeant etiā ab illis, iiſdēq; indigeant, & idcirco ſervire ipſis, quodammodo cogantur; ita quoq; opibus potiuntur ſuis, ut à ſubditis exigant vectigalia, vel ſubſidia poſcant interdum mutui nomini gravi per ſæpè gravati ære: ad hæc ita gaudent, honore dignitate, voluptate, ut angoribus ſimul non raro, ſollecitudinibuſque moleſtiſſimis diſcrutientur: poſtremo tandē temporale regnum eſt, breviſq; ſpatii, ac fere Reges, atq; Principes vitæ metam citius attingunt. Nihil horum eſt in Regno perfectiſſimo, & abſolutiſſimo Dei; nam gloria, & potentia præditum eſt utpotè quum *in ditione ejus cuncta ſint poſita* m, *& gloria, & divitiæ ſint in domo ejus* n, *in multitudine* autem *populi dignitas Regis*, ut è contrario *in paucitate plebis ignominia Principis* o. Bonorum noſtrorum non eget Deus, potens pereuntibus omnibus nationibus terræ Angeliſq; ipſis, & mundo toto, alias res denuo multo plures, & perfectiores cōdere, immo *conterere multos, & innumerabiles, & ſtare facere alios pro eis* p. Regit ſolo nutu omnia, nec reſiſti poteſt ei ullo modo aut leviſſime aliquid eum turbare. *Poteſtas* demum ejus *æterna eſt, quę non corrumpitur*, nec poteſt corrumpi q. Sancti cœleſtes hæc omnia prædicant, vel exemplo nobis relicto, vel ſcripto tradito, vel interceſſione, auxilioq; ſubminiſtrato. Sancti, qui ſunt in terra, & in quibus *mirificavit Deus voluntates ſuas* r, his ipſis modis idem præſtant, ac præterea externo verbo, & operibus bonis, quæ ſubjiciuntur moralium oculis, & filius hominum, ideſt, adhuc humana ſapientibus, & ſectantibus. His præcurſor Chriſti cum pœnitentia quam indixit, annuntiavit iſtius Regni cęlorum appropinquationē ſ: quod poſtea ipſemet Chriſtus fecit t, & fieri à diſcipulis voluit u. Sed & Paulus x prædicavit *non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*: Petrus y promiſit *lætitiam inenarrabilē & glorificatam*. Militans quoq; hìc Eccleſia canit cum admiratione & exultatione, & invitans ad triumphum regni beati, glorioſiq; (O quam glorioſum eſt regnum, in quo cum Chriſto gaudent omnes) Ad hoc nos regnum anhelare adhuc juſſit idem Chriſtus orantes, ut *adveniat* z. & electos in judicio venire imperabit, ut ſibi paratum percipiant *a*. Magnitudo decoris Regni hujus aliquid commendat, ait Auguſt. quod nondum videmus, quod nondum viſum credimus, quod creditum deſideramus, propter cujus deſiderium omnia ſuſtinemus. Habet mundus hic decorem, qui etiam omnem conſideratorem terret, & pulchritudo ipſa ſic eminet, ut quaſi pulchrius nihil inveniri poſſit. Sed hìc vivunt nobiſcum, & vermiculi, & mures, & omnia terræ repentia: quale decus illius regni, ubi nobiſcum non vivunt, niſi Angeli? Hugo gloriam iſtius regni deſcribit à diuturnitate, amplitudine, pacis trāquillitate, ſecuritate perfecta, omnium bonorū abundantia, omnimoda libertate, cōformitate ſecundùm modum, & ritum vivendi, nobilitate filiorum Dei, munditia & ſanctitate, pulchritudine, perfecta dilectione, magnificentia, & honore, Angelorum ſocietate, & aſpectu, unius ſolius dominatione, Regis ſapientia, fortitudine, benignitate, ſempiterna præſentia, benevolentia. Ayguanus oſtendit hæc de gloria Regni Chriſti, etiam dum hic viveret, atq; de potentia ipſius, quam declararunt, Deus ipſe, Angeli, homines, omnes creaturæ, dæmones etiam. Conſiderat præterea in potentia Dei longitudinem durationis æternę, latitudinem extenſionis à mari uſq; ad mare, à flumine, uſq; ad fines terræ; celſitudinem ſuppoſitionis, eo quod ſibi ſubjicit omnia entia. Deeſt profundum perſcrutationis cordium. Quæ jam initio pſalmi ab alio recenti auctore eodem fere modo dicta retulimus. Addit prior ille diſtinctionem poteſtatis Chriſti in doctrinalem, medicinalem tam corporalium, quam ſpiritualium morborum, inſuperabilem in cunctorum dominatione.

m Eſth. 13. 9 n pſ. 111. 3 o Prov. 14 28 p Job. 34. 24 q Dan. 7. 14 r pſ. 15. 3 ſ Matt. 3. 2 t cap. 4. 17 u cap. 10. 7 x Rom. 8. 18 y 1 Epiſt. 1. 8 z Matt. 6. 10 a cap. 25. 34

Decus regni cœleſtis quale, & unde deſcribi poſsit.

Gloriā regni tui dicent.) Sic deſcribitur Aſſueri regnum ut appelletur *gloria regni*, quā oſtendere volebat, ſeu *divitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinē, atque jactantiam potentiæ ſuæ b*. Quare cœleſtis beatitudo in regno Dei nomine *gloria* appellari ſoleat, docui alias *c*. Propoſito congruit cauſſa, quoniam regni illius gloriam dicunt, & regi cuncti, qui in eo regno ſunt, quod vocari quoq; templum poteſt *d*; præterea, quia viciſſim laus eſt, gloriaque beatis à Deo *e*; deniq; celebrant ſinguli ſingulos inter ſe, ſed in Domino, *Implebitur gloriæ domus illa, eritq; pluſquam primæ* domus; prope in infinitum major *f*.

b Eſth 1. 4 c in pſal. 5. verſ. 12 d pſ. 28. 9. e 1 Cor. 1. 4 f Agg. 2. 8. 10

Et

Et potentiam tuam loquentur.) Hieronymus, *fortitudines*, ſicut verſu 4. eſt enim idem nomen Hebræum licèt ibi plurale גבורה *gbevuroth*, hic ſingulare גבורה *gbevurah* ſed ibi Græcum eſt δύναμις hic δυναστεία, quod ſecundùm nomen denotat ipſum principatum, & potentatum vocant, ut & principem.

Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam.) Hieron. & Auguſt. in Spec., *Ut oſtendant filiis hominum fortitudinem ejus*, גברותו *gbevurathau* pluraliter, & cum affixo terriæ perſonæ, ita ut referantur ad regnum. Sed facilè ex ך *Ka* factum eſt ו, & illo modo legerunt LXX. vertentes cum pronomine ſecundæ perſonæ. Idem eſt de membro ſequenti. Magis autem congruit pronomen ſecundæ perſonæ cum præcedentibus cumq; verſu ſequente, in quibus eſt item ſecundę perſonæ pronomen. Textus Chald. habet pronomina tertiæ perſonæ; pro quibus miror, cur, qui Latinè tranſtulerunt, poſuerint ea, quæ ſunt tertiæ. Græcè rurſus idem nomen δυναστείας hic habetur. Sanctorum eſt, præcipuè prædicatorum, doctrinam de DEO, regnoque illius ac potentia, ceteris annuntiare, eaque in re non ſuam, ſed aliorum quærere utilitatem, ac in primis gloriam DEI. Potentiæ prædicatio pertinet tùm ad mirabilia opera DEI, tùm ad vindicativam juſtitiam, qua terreantur mali: Prædicatio gloriæ regni, ad magnificentiſſimam liberalitatem, qua ſpes bonis gloriæ injiciatur & ęternorum bonorum amor. Per *filios hominū*, quamvis, ut alias *a* dixi, poſſint quilibet homines intelligi, nec tantùm in deteriorem partem *carnales, & ſecundùm hominem ambulantes* b, tamen ad rem facit, ſi ſenſu ſaltem accommodatitio, tales hic accipiamus, qui terrena ſapiunt, & *regnum DEI*, licèt *intra ipſos ſit* c, non intelligunt; ad amorem autem ejus excitantur, ut ait Bruno. Miracula edita à prædicatoribus. Chriſti potentiam ipſius notam fecerunt; cujus rei exemplum Ayguanus recitat de cœco illuminato Athenis à Dionyſio Areopagita adhuc gentili, jubente id Paulo, juxta formulam verborum, quam ille eidem Paulo præſcripſerat, pollicens ſe crediturum, ſi miraculum id fieret. Cupio rei tantæ idoneum auctorem.

a pſ. 4. 3 b 1. Cor. 3. 3 c Luc. 17. 21

Et gloriam magnificentiæ regni tui.) Hieron. & Auguſt. in Speculo, *& gloriam decoris regni ejus*, ſed idem Aug. cum vetere Pſalterio *& gloriam magnitudinis decoris regni tui*, ſunt hic Hebr. כבוד הדר *chevod hadar*, & Græcè ἡ δόξα τῆς μεγαλοπρεπείας, quæ voces erant etiam verſu 5. & præterea הוד *hhod* & ἁγιωσύνη, pro quibus poſuit Hieronymus *magnitudinis* vocabulum, quod hoc loco poſitum dixi à vetere Pſalterio, & ab Auguſtino ſignificatur gloria magnifica, vel decora, vel gloria magna, & decora quemadmodum dicto loco declaratum eſt. *Magna domus Domini, in cęlo, & ingens locus poſſeſſionis ejus, magnus, & non habet finem, excelſus, & immenſus* d. Ad gloriam ejus pertinent, quæ prius dicta ſunt.

d Baruc. 3 25

Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum.) Ideſt, durās per omnia ſæcula, & cujus non eſt finis: de qua perpetuitate, ſeu æternitate actum eſt prius, & alias non ſemel, tùm verò de illa quæ convenit regno Chriſti. Conjunxit hanc regni proprietatem Eſaias *e* cum priore de magnificentia ejuſdem, ſive regis ipſius, deſcribens *regem in decore ſuo, & Sion civitatem ſolemnitatis, Jeruſalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus, & omnes funiculi ejus non rumpentur, quia ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus noſter, faciens magna qui potens eſt*, atque majora, quam fecerit, faciendi poteſtatē ſuis concedens *g*, manens cum illis uſq; ad conſummationem ſæculi hujus, & accipiens ad ſe ipſum, ut fruantur æterno ſecum: Infixa corona capiti Chriſti, licèt ſpinea, fixum portēdebat regnum ipſius. Athanaſius *h*, urget acriter hunc locum adverſus Arianos pro æternitate Filii Dei, quoniam non permittit ullam qualemcumq; intercapedinem intelligi, in qua non extiterit Verbum; ſi namq; omne ſpatium menſura ſæculorum colligitur, omnium autem ſęculorum rex eſt, & conditor Verbum, neceſſe eſt, ut nullum fuerit quantulumcumque ſpatium ante Verbum, & ſit furia ſeu dementia dicere, quod erat aliquando, quando non erat æternus ille, aut quod ex non entibus fuit.

e cap. 33. 17 20. 21. f Luc. 1. 49 g Joa. 14. 12

Corona ſpinea Chriſti capiti infixa, regnum ipſius portendebat fixum.

h or. 2. cont. Ar.

Et Dominatio tua in omni generatione, & generationē.) Ideſt, per omnes generationes, quæ prius dicebantur *omnia ſæcula*: *& dominatio* idem valet, quod *regnum*, ſive *poteſtas*, quam Hieron. ponit: eſtque Hebraicè ממשלה *memſcialah*, Græcè δεσποτεία. Chaldaicè שלטנות *ſcìultanuth*: quæ voces ſunt in fine pſalmi 102. *in omni loco dominationis ejus benedic anima mea Dominum*, nec admodum refert, ſi legas, *in omni generatione, & generationem*, vel *in omni generatione, & progenie*, quod ultimum eſt apud Hilarium, Anob. Caſſiodor. & in Pſalterio Romano, ac Ambroſ. Hebr. בכל דור ודור *bechol dor vador*. Græcè ἐν πάσῃ γενεᾷ καὶ γενεᾷ. Repetitio *generationis*, omnes generationes, ætateſque præſentis temporis, necnon præſens, ac futurum ſæculum innuit, quia reſurrectio dicitur generatio, ſive regeneratio *i*, quæ ſanctos ad incorruptionem beatæ æternitatis creat, ut ait Proſper, & alii, aut indicat, ſed magis myſticè, populum Judæum, & Gētilem. Pium Ayguani votum, quod ſuſcipi ab hominibus debet, exemplo Bernardi *K*, quem citat, ut regnet, ac dominetur in nobis ſolus Deus, & ſuper nos, tollatq; de hoc regno ſuo omnia ſcandala.

i Mat. 19. 22 k hom. 4 ſupra Miſſus eſt.

Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

NON eſt appoſitis hic nota numeri, quia non extat nunc iſte verſus in textu Hebræo. Extitit fortaſſis aliquando, ut eum LXX. ſuppleverūt, & ex 17 huc tranſtulerunt, qui ab iſto nihil differt, niſi primo nomine *juſti*, pro nomine *fidelis* & nomine *verborum*, pro nomine *viarum*. Deſideratur autem verſus iſte ad complementum alphabeti, cui alioqui deeſſet littera נ *nun*, à qua inchoatur primum nomē verſus נאמן *neeman* quemadmodum in pſal. 110. qui Alphabeticus eſt *fidelia mandata* dicuntur נאמנים *neemanin*. Bellarm. noſter non dubitat aſſerere textum Hebræum eſſe corruptum, quia LXX. nullo modo auſi eſſent verba ſua, & præcipuè verſiculum integrum inſerere verbis Dei: Deinde, quoniam quum totus hic pſalmus alphabeticus ſit, nulla ratio reddi poteſt, cur David unam litteram omittere voluerit. Genebrardus exiſtimat, interpretes ſuppleviſſe, ut pleraque alia, quum Hieronymus *l*, quoque tradat eos addidiſſe aliqua, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus ſancti auctoritatem. Confirmat exemplo pſalmi 36. *m* ubi verbis illis, *injuſti punientur* ἄνομοι δὲ ἐκδιωχθήσονται, Hebr. nihil reſpondit, de quare vide, quæ ibidem dixi. Præterea notat R. Salomonem, atque Thalmudicos docere omiſſam hoc loco literam נ *nun*, quod per illam expreſſa eſſet extrema filiorum Iſrael everſio, ut ſcribitur in Amos *n*, נפלה *naphelah, corruit, & non adjiciet, ut reſurgat virgo Iſrael*. Pſa tē invertiſſe potius benè ominandi cauſſa, & per ſpiritum ſubjeciſſe: Allevat Dominus omnes, qui corruūt לכל הנפלים *lechol hanophelim*. Addit, quoniam hæc ratio non ſatisfacit, R. Kimhi fatetur ſe neſcire cauſſam omiſſæ litteræ, videri ſibi voluiſſe quidem Pſaltem canere, quod continetur iſto verſu de Dei fidelitate verbis, ac prædictionibus pertinentibus ad reprobationem Judæorum, ſed perturbatum prætercurriſſe, quaſi diceret apud ſe, velle ſe ne hæc fidelitas, conſtantiaque haberet locum & vim in populi ſui rejectione. Deniq; ait dum LXX. reſtituerunt iſtum verſum ſpiritu prophetico, & per traditionem habuerunt perfici debere defectum acroſtici carminis, eadem opera confirmaſſe Thalmudicorū dictam contemplationem, licèt hi aliquando poſt Chriſtum vixerint. Lyran. arbitratur adjectum hunc verſum ab aliquo interprete vel expoſitore. Ayguan. idem refert: Auguſtinum tamen ponere in ſua translatione: Utrum autem in hac parte ſit magis illi credendum, quam Hieronymo, permittit judicium lectori: Janſenius, & Agellius volunt aut fuiſſe in libris Hebræis, quibus uſi ſunt LXX. aut ipſos eum addidiſſe, pro perfectione alphabeti. Richard. Cœnoman. amplectitur ſecundum: Folengius primum, & ex hæreticis Muſculus. Peregrinus Herus Italico ſermone pſalmos interpretans docet, vel planè omiſſum à Davide, ut in quibuſdam aliis pſalmis, vel fideliorem eſſe textum Græcum, & Latinum, itaut, qui debebat eſſe deſideretur in Hebræo hic verſus, vel ab interpretibus Græcis LXX. additum, qui Hebraicè non extabat. Mea ſententia eſt, veriſimilius eſſe, quod interpretes adjecerint de ſuo verſum iſtum, quia nulla ratio eſt, cur Hebræi, ſi is extabat, illum abſtulerint. Cur enim veretur David indicare populi ſui verſionem in illo modo, quem Genebrardus excogitavit (qui tamen modus perobſcurus eſt, quum fidelitas Dei ad alia poſſit referri, quam ad eam everſionem) David, inquam, qui adeo multa vaticinatus eſt in populum ſuum. Quare Amos id veritus non eſt, quem

Ratio lectionis hujus verſus.

l præfat. in Philip. m verſ. 28. n cap. 5.

Rabbini citant; quibus cum hac in re Genebrardus concordat. Unde etiã probari poteſt traditio illa de reſtituendo verſu, qui deerat, Defuiſſe, nec à Davide ſcriptum eſſe, concedo Genebrardo, non autem de induſtria omiſſum, propter eam cauſſam, affert: Eumdem Genebrardum recipio, quatenus auctores verſus iſtius facit interpretes LXX. qui etiam aliis in locis alia de ſuo addiderint; quod concedere veteri non debet, quiſquis eos in interpretanda ſcriptura Spiritu divino afflatos concedit. Accedit quod Caſſiodor. admonet initio pſalmi hujus, & 24. & 23. pſalmis alphabetariis nonnullis deeſſe aliquam litteram, ſeu verſum acroſtichon ab aliqua inchoatũ. Deeſt in pſalmo 24. triplex initialis littera ק, ו, ב *beth*, *vau*, *kopb*, aut ſaltem ק *kopb*, in 33. littera ו *vau*, in 36. littera ע *bhain*. Quare non debet illa ratio hic valere, cum pſalmus iſte alphabeticus, nullam litteram omitti debuiſſe à Davide. Poſtremo non extat quidẽ verſus hic in paraphraſi Chaldæa, tamẽ in aliis editionibus expreſſus eſt, ut in Arabica, quæ omnes videntur immediate factæ ex Græca tranſlatione. Scholion quoddam Grȩcum totum verſum obeliſco notatum notat, & quod neque apud Hebræos feratur, neque apud alios interpretes. Atqui de LXX. dubitari nequit, & omnes enarratores Græci agnoſcunt, prȩter alios, qui eumdem citant, ut poſtea conſtabit.

Senſus loci.

Ceterum ſententia verſus præſentis eſt, qua incipit deſcriptio virtutum regiarum, ſive quas regibus ineſſe maxime docet, Deoq; tamquam regi inſunt inſigniter, atq; Chriſto Regum regi: ut ſit Rex verax in cunctis, quæ promittit, & quovis modo juſte pronuntiat, atq; cõſtans in iis præſtandis, & complendis: Prȩterea ſanctus, innocens, impollutus, immaculatus, irreprehenſibilis in omni opere, ita ut nulli noceat, neminem offendat, nullam occaſionẽ peccati, vel querimoniæ juſtæ prȩbeat. Vel, ſanctitas pertinet etiam ad opera, ſive facta ut reſpondeant promiſſis, & dictis, quod ſignificare poteſt ὅσιος ad eum modũ, quo vocantur τὰ ὅσια τοῦ Δαυὶδ τὰ πιστά, *ſancta David fidelia* a, hoc eſt, juramenta, quæ Davidi facta ſunt à Deo, & eidem ſancte reddenda erant. Scripturam ſanctam Auguſt., promiſſa divina continentem, appellat chirographum Dei, quod omnes tranſeuntes ac ſibi ſuccedentes per varias generationes, legerent: quemadmodum ſi diceres alicui, cùm aliquid promitteres; non mihi credis; ecce ego ſcribo tibi: deducendo orationem, & computando, quæ jam Deus reddidit, ait poſſe nos credere illum redditurum, quæ debet, quia promiſit. Profert exempla præcedentium promiſſorum Dei impletorum, de dando filio, atq; de paſſione, ac reliquis myſteriis ejus, de tradendo Spiritu ſancto de ſanguine, & coronis martyrum, de converſione regum ipſorum prius perſequentium, & aliorum, de deſtructione idolorum: Tanta reddidit, inquit, numquid propter pauca reſidua infidelis eſt factus? Abſit. Idcirco negat dubitãdum credere de reſurrectione mortuorum, de Judicio, & de futuro ſæculo, quod ſolum jam reddendum reſtat. Recte autem Hilarius, fidelitatis cum ſanctitate conjunctionem hic poſitam obſervans, ait verborum fides forte nutaret, niſi ſanctitas operibus, eſſet admixta. Atque ita ſanctitas in operibus fidem confirmat in verbis; ut de Sancti fide in promiſſis non ambigas, cujus ſanctitate utaris in rebus. Si enim ſanctum eſſe Deum intelligimus, per quod naſcimur, vivimus, alimur, & copiis omnibus humanæ naturȩ congruis abundamus: ſanctitas iſta eſſe non poteſt infidelis in dictis. Bona ratiocinatio à majore ad minus, à factis addita. Sed ſanctitatem ſumit quemadmodum & prius pro beneficentia. Omnino vero quidam *b*, argumentabatur, cujus tu fidem in pecunia proſpexeris. Verere ei verba credere. Chriſoſt., & Baſilius ſanctitatem in operibus attendunt: quod nullum ſit, de quo quæri quiſquam queat. Profecto beneficus non poteſt eſſe, aut vix certe maledicus, ideſt, in his, quæ dicit, pollicendo malæ fidei homo: nec qui probus & ſanctus habetur, fallit fidem, præcipue religioſo firmatam juramento: quæ res peculiariter ad ſanctitatem ſpectat, ita ut ſanctum & ſacrum, atque ſacroſanctum cognominari ſoleat juramentum. Aliis locis non paucis ſcripturarum *c*, tribuitur Deo Chriſtoque fidelitas dictorum, & ſanctitas operum, ſive omnis iniquitatis privatio, odiumve: ac de Chriſto ſimul affirmatur, quod *peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* d. *Non Deus volens iniquitatem eſt* e, *nec poteſt quis ei dicere, operatus es iniquitatem* f, *ſed hanc etiam operantes odit, perditque omnes qui loquuntur mendacium* g, *Fidelem & veracem Chriſtum* Joannes nominat *h*, *in equo albo, qui cum juſtitia judicet, & pugnet*: nimirum pro veritate, & ne quod veraciter dictis impedimentum ſit. Occurrit Chryſoſt., ſi alicubi dixit Deus aliquando quod non factum eſt, id ipſum quoque ejus veritatem indicare. Probat ex verbis Dei apud Jeremiam *i*, quibus minatur Deus quidem, ſed ſimul promittit pœnitentiam *ſuper malo, quod cogitaverat facere, ſi gens illa pœnitentiam ageret*: ac vice verſa, dicit *ſe pœnitentiam acturum ſuper bono quod locutus fuerat, ut faceret, ſi illa faceret, malum in oculis ejus*. Quidquid dicit Deus, inquit Dionyſius Rickelius, verum eſt, atque impletur, dummodo abſolutè dicatur: quædam namque dicuntur à Deo comminativè, ſeu conditionaliter, quȩ non ſemper implentur, ſicut de morte Ezechiȩ k: & tamen in talibus verbis Deus fidelis eſt, quoniam eo modo, quo ipſe ea dicit, vera ſunt atque implentur. Aliam objectionem Athanaſius *l*, diſſolvit Arianorum, ex Pauli *m* ſententia, qua ſcribit, quod *Chriſtum Deus fidelem fecit*, quaſi hoc nomen ita de ipſo dicatur ut de aliis, qui quia ſunt fideles, & credunt, mercedem accipiunt. Nam eodem nomine, inquit, Deus ipſe apellatur à Moyſe *n*, & à Paulo *o*. Deinde docet πιστὸν *fidelem* bifariã ſumi, & pro eo qui credit, & pro eo, qui dignus eſt, ut ipſi credatur: illud hominibus convenire, hoc Deo: & præſentem locum in ſecunda notione intelligendum eſſe de Deo, qui dignus eſt qui credatur, & mentiri non poteſt locum Pauli non ita intelligendum, ut ad ſimilitudinem hominũ Chriſtus credens placuerit: immo ne proprie quidem credidit fideliſq; à fidei Theologicæ virtute dici poteſt, quoniã anima illius beata ſemper fuit, ut hoc etiam loco notat Rickelius; ſed quod quum ſit verus Dei filius, fidelis eſt etiã ipſe, hoc eſt, dignus, cui fides habeatur in omnibus, quæ vel facit, vel dicit: ſtabilis enim & ipſe eſt, & non mutatur, quantum ad humanam diſpoſitionem, & ad ejus in carne adventum pertinet: denique factum dici ratione incarnationis. Tranſcripſit Euthymius Athanaſii locum illum in ſuam Panopliam *p*. Ad extremum diſcendum nobis, ut fidelitatem Dei imitemur qui dicimur nomine communi fideles, à fide quidem circa credenda, quæ Deo non convenit, ſed à fidelitate quoq; circa ſponſionem baptiſmalem, ut uni ſerviamus Deo, abrenuntiemus autem diabolo & pompis ejus. Præterea ſtudere ſanctitati debemus, quam profitetur Eccleſia ſancta, & à qua ſanctitate cognominabantur olim Sancti omnes fideles, ſive Chriſtiani, ut ſæpe diximus.

Regiarum virtutum deſcriptio

a Eſai 55. 3 Actuum 13 34

b Teren. in

c Deut. 7. 9. c 32. 4. pſ. 18, 8 pſ. 88 26. 36. pſ. 110, 6 Eſa 49. 7. c. 55 3 Actuum 13 34. 1. Cor. 1. 9 c. 10. 13 Ep. 2 1. 18. 2. Theſſ 3. 3. c. 3. 2. c. 10. 25. 1. Petr 4. 9. 1. Joan. 1 9. Apoc. 1. 5. c. 3. 14. cap 19. 11 ſunt hæc de fidelitate, de alio membro plura, ſed obvia

d 1. Pet. 2. 22

e pſ. 5. 5

f Job 36. 23

g pſ. 5. 7

h Apoc. 19. 11

i cap 18. 7 8 9 10

K 4. Reg. 20 1 & ſeqq. Eſa. 38 1 & ſeqq

l ora. 2. cont Arian

m Hebr. 3. 2

n Deut. 7 9 cap 32. 4

o 1. Cor. 10. 13 & aliis locis antea citatis.

p p. 1. tit. 11 pag. 217

Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis.) In vetere, Romano Pſalterio, & apud Hilarium, Auguſt., Proſperum, Arnobium, Caſſiodorum deeſt, *omnibus*. Atqui textus Græcus habet πᾶσι & in verſu 17. eſt etiam Hebræum כל *chol* ſignificans *omnes vias*, nec enim conſuli poteſt hic ea lingua, in qua verſus iſte non extat, ut ante dixi. Vim quoq; facere videntur expoſitores, ut quidquid Deus dicit, aut ſpondet, verum ſit, impleaturq; ad eum modum, quem prius diximus. *Nec incredulitas* quidem *aliorum fidem Dei evacuat* q, ideſt, fidelitatem in promiſſis, ſed & *in die* ipſo *correptionis oſtendit fidem* r, quamvis correptis minime videatur Denique fides in Deo eſt, prout quod dicit facit, juxta definitionem fidei Tullianam *ſ*. Baſilius quoque diſputans de De judicio *t* ac ſimul cum præſentis loco perpendens alium ex Matthæo *u*, ubi Chriſtus dicit quod *verba ſua non præteribunt*, ſeu *tranſibunt*, obſervat in utraque ſententia nihil excipi, Deumque pronuntiari fidelem in omnibus verbis ſuis quæcumque vel vetat, vel jubet, vel promittit, vel minatur, idque ſive facta ſint quæ vetita, ſive omiſſa quæ juſſa. Hic jã quæritur non tantum inter diſpenſatores, verum etiam univerſe *inter homines, ut fidelis quis inveniatur* x, non tantum *majori, ſed in minimo* quoque, *& in mammona, & in alieno* y: non ſolum *ſuper multa*: ſed & *ſuper pauca* talenta z, non modo ad tempus, ſed *uſque ad mortem*; *ut coronam accipiet vitæ* a, non in uno dumtaxat verbo facto vel alio, ſed in omnibus, ne *delinquens in uno* (graviter) *fiat omnium reus* b, quod attinet ad formalem à Deo averſionem, amiſſionem gratiæ, indignationem Dei, reatum æternæ pœnæ. Communi hominum judicio qui non eſt fidelis, ſed ſemel mendax, præſumitur ſemper mendax, ſaltem in eodem genere. Rara prorſus, nec tam à ſingulis obſervata, quam deſiderata in aliis virtus fidelitatis: & quum nihil æque fere diſpliceat in aliis, quam ſi ea deſideretur, non æque ſtudet quiſque, ne in ipſo deſideretur.

q Rom. 3. 3

r Oſea 5 9

ſ 1. offic.

t proœm. in Ethic

u cap. 24. 35

Fidelitatis quam in omnibus neceſſaria

x 1 Cor. 4. 2 Mat. 24. 25

y Luc. 16 10 11; 12

z Mat. 25. 21 23

a Apoc. 2 10

b Jacob 2 10

Quo pacto qui ſemel mendax, ſemper mendax præſumitur.

c Sil. Ital. l. 13.

> —— b *Fulgentibus aſtro*
> *Hæc potior regnis.*

Et ſanctus in omnibus operibus ſuis.) Prius docui referri poſſe

ri poſſe ad ſanctitatem circa res promiſſas eo ſenſu, quo *ſancta* dicuntur *David fidelia* a, ὅσια, & πιστά: favet Hilarius antea citatus: Theodoretus præterea optime perſtringit, quod verborum veritas ſplendet effectibus confirmata, & hi juſtitia ornantur. Extenditur ſententia tamen ab aliis ad alia omnia, ſive cum Hilario ſanctitas accipiatur pro beneficentia, ſive magis ample pro recta ratione in omni opere, tum vero etiam, ne qua ulli fiat injuria, noxa, damnum. Apollin. autem exponit, ἐκδικίαν κεκερασμένην ἔργοις, *æquitatem mixtam temperatamve operibus*. Chryſoſt., Baſilius, Nicephorus, Euthimius addunt hujuſmodi eſſe opera Dei, ut juſtæ querimoniæ nullam occaſionem dent, ſive anſam, λαβήν. Merito alibi *b*, David, quod initio ipſe præſentis pſalmi facturum ſe vovit, alios invitat *ad exaltandum Dominum Deum noſtrum in monte ſancto ejus; quoniam ſanctus Dominus Deus noſter*. Sed & gemina iſti ſententia videtur pſalmi alterius illa, in qua poſtquam David invitavit juſtos ad exultandum in Domino, ad confitendum illi, ad pſallendum, ad cantandum canticum novum, ratio effertur, *quia rectum eſt verbum ejus, & omnia opera ejus in fide* c. Eccleſiaſtici gratia agentes Deo à cȩna, paullulum immutantes uſurpant hunc verſum, *Benedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*, &c. faciunt quoq; mentionem de omnibus operibus Dei, quemadmodũ poſt prandium, ut prius monui, recitantes ejuſdem pſalmi noſtri decimum verſum, *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua*, &c.

a Eſa 55. 8. Act. 13. 24

b pſ. 98. 9

c pſ. 32. 12. 3. 4

Verſ. 14.) Allevat Dominus omnes, qui corrunt, & erigit omnes eliſos.

Senſus loci.

Regis alia virtus eſt, ſic ſubditos regere, ne corruant; & ſi qui forte corruerint, eos erigere. Facit Deus quod in ſe eſt, ne quis cadat, cedatq; tentationi, & quod non cadat, cedatque, ab adjuvante gratia eſt: eodem modo, ut quis, poſtquam ceciderit, & ceſſerit, reſurgat. *Supponit Deus manum, ne collidamur* d: & cùm *impellimur* ac evertimur, *ut cadamus, ſuſcipit nos* e: *perditio noſtra ex nobis eſt, tantummodo in Deo auxilium noſtrum* f. Quemadmodum ſi unicus magiſter ſit, vel medicus dicentur omnes ab illo doceri, ab iſto curari, nimirum qui docentur, & curantur, quive illos adeunt, ut doceantur: ſic omnes allevat Deus, qui corruunt, ideſt, qui proni ſunt ad corruendum, eſſentque corruituri, niſi adjuvando allevaret, ſive ſuſtentaret, ac ſuffulciret; & eliſos erigit, ut ex caſu, lapſu, ruina, colliſione convaleſcant. Confirmat Rickelius ſimili ſententia Joannis, quod *lux vera*, qui eſt Chriſtus, *illuminat omnem hominem veniẽtẽ in hunc mundum* g; quia quod in ſe eſt, id facit, nec quiſquam illuminatur, niſi ab illo: quum tamen non pauci *magis diligant tenebras, quam lucem* h, & *tenebræ hanc non comprehenderint* i, *ſuiq; Chriſtum non receperint* K. Tritum item Solis exemplum, qui omnes illuminat, ſed qui videndi vi præditi ſint, & oculos non claudant, vel feneſtrã aliudve impedimentum radiis non objiciant. Quin vero etiam Ambroſius infert ex hoc loco à vocationis, & gratiȩ munere neminem diſcretum eſſe. Quod ipſum Proſper facit in eodem operè de vocatione gentium, quod utrique Doctori tribuitur, ſed capitum numeris diverſum, quum apud illum ſit libri primi tertium: apud iſtum nonum. De caſu temporali, & ſpirituali id intelligitur; de hoc autem præcipue ſaltem myſticum ſenſum, juxta quem ſenſum Didymus, quem citat Agellius, corruere interpretatur illos, qui nondum opere compleverunt cupiditatem, qua tenentur; eliſi, qui ad opus illam perduxerunt; hos erigi à Deo admonente ac prȩcipiente, ut *non concupiſcãt uxorem proximi* l: & Sapientem *m*, ut *non vincant formȩ concupiſcentia*. Valent hæc etiam præcepta ad præcavendũ lapſum, immo & concupiſcentiam ipſam malam. Si qui jacent, non ſurgunt, non in cauſſa eſt Deus, inquit Chryſoſt., qui vult erigere, ſed qui nolunt ſurgere. Probat exẽplo Judæ, quem Chriſtus, cùm cecidiſſet, voluit erigere, & ut ſurgeret, nihil non fecit, ſed ille noluit *n*; & exemplo David, quem, cùm cecidiſſet, Deus erexit, firmumque ac validum reddit *o*; præterea exemplo Petri, quem, caſurus eſſet, Chriſtus renuit, dicens *rogaviſſe ſe pro illo, ut non deficeret fides ipſius* p, Aug., cumq; ipſo Proſper, diſtinguit decidentes, quos pro corruentibus poſuit, & confirmari dicit, quos Interpres allevari, ut vel decidant *à cogitationibus ſuis malis* q, ne illas impleant, atque ita confirmentur in bono: vel à poſſeſſione rerum temporalium, ſicut Job, quem Deus tantopere confirmavit patientẽ reddendo r: & hoc modo quemlibet juſtum dici *ſepties in die cadere ſed confirmari, ac reſurgere: impios autẽ infirmari in malis* ſ. Eliſos, qui ſint proprie, non exprimunt hi Patres; tamen videntur intelligere de peccatoribus, ſed ad Deum pertinentibus, quos Deus erigat, quia ſuperbis reſiſtit, quos videntur accipere nunc pro reprobis. In quo ſenſu confirmantur, ut etiam dicebamus omnes corruentes, ſive decidentes, ne decidant, corruantve, & eriguntur omnes eliſi, ut poſt caſum, ruinam, eliſionem reſurgant. Ne cadamus, ipſo cuſtode defendimur, inquit Caſſiodorus ut vero proſtrati ſurgere valeamus, virtute ipſius nihilominus ſublevamur. Bruno Charthuſianus corruentes intelligit per originale peccatum, & per actualia; allevari, poſt mortem, dando illis beatitudinem, ſicut paſtor ovem, quæ de paſcuis, vel ovili montis cujus libet corruit, nec poteſt per ſe aſcendere, in humeros ſuos levat, & ad paſcua, vel ad ovile reportat: omnes dici non quod omnes alleventur, ſed quia ex omni genere multi, videlicet, & de minus graviter, & de magis graviter peccantibus. Per eliſos, qui eriguntur, interpretatur eoſdem peccatores, qui priuſquam dicto modo alleventur poſt mortem in hac vita eriguntur per peccatorũ remiſſionem, nimirum omnes etiam, ideſt, tam gravius, quam minus graviter eliſi. Eliſionẽ vero ait eſſe, cùm vires confractæ ſunt, & liberum arbitrium, propter nimium põdus peccatorũ, & per ſe non poſſunt de confractione hac erigi ſed remittendo illis peccata, & innocentiam reſtituendo, quemadmodũ ſi quis de aliquo loco ſublimi ceciderit, nec erigi per ſe poſſit: quia graviter eliſus eſt, ab alio erigatur. Generalem quoq; propoſitionẽ iſtam comprehendentem omnes, putatus Hieron. exponit de allevatis his, qui corruunt, ne in æterna ruina mergantur, & de erectis iis, qui eliduntur, quia corporeæ voluptatis præcipitantur ſtimulis, adhibita reſtringit conditione, ſi pȩnitentiã agant; quod ſcilicet ut poſſint, auxilium gratiæ ſufficientis non denegatur. Ayguanus allevari, ac erigi explicat corruentes per humilitatem, vel voluntariã paupertatẽ, vel pȩnitentiam; quia tales Deus ad gratiam gloriamq; ſublevat. Confirmat verbis Job *t*, *qui ponit humiles in ſublime, & mȩrentes erigit ſoſpitate*; quoniam, ut ait Gregor. *u*, iique nunc pro Dei amore ſuſpecti ſunt, tunc cum Deo Judice venient: & qui in ejus deſideriis accenſi proſpera mundi fugiunt, adverſa patiuntur cruciatus perſequentium tolerant, ſeque ipſos per lamenta caſtigamento ſublimiorem tunc ſoſpitatem ſuſcipiunt, quanto nunc à cunctis mundi gaudiis devote moriuntur. Proſper objectioni Gallorum x, quod per potentiam Deus homines ad peccata compellat: reſpondet, nullum Catholicorum hoc dixiſſe, aut dicere: diaboli hoc opus eſſe, cujus gaudium eſt ruina Sanctorum: ſed Dominum allevare omnes, qui corruunt, & erigere omnes eliſos, quibus dat pœnitentiam, ut *reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenebantur ad ipſius voluntatem* y. Rurſum refellit objectionem Vicentianam ſeptimam *a*, quod ſit voluntas Dei, ut magna pars Chriſtianorum ſalva eſſe nec vellit, nec poſſit, quoniam potius allevat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes; nemo autem, niſi illius gratia erigitur, nemo niſi illius gratia ſtabilitur: & Dei voluntas eſt, ut in bona voluntate maneatur: qui & priuſquam deſeratur, neminem deſerit, & multos deſertores, ſæpe convertit. Docet præterea in reſponſione ad decimam quintam, non eſſe conſequens, ut Deus quibus pœnitentiam non deſiderat, reſipiſcentiam abſtulerit, & quos non levavit, alliſerit.

d pſ. 36. 34

e pſ. 117. 14

f Oſea 13 9

g Joan. 1. 9

h cap. 3. 19

i cap. 1. 5

k verſ. 11.

l Exod. 20 17. Deut. 5 28

m Pr. 9. 25

n Mat. 19. & Luc. 22. & Joan. 13

o 2. Reg. 12. 1 & ſeqq.

p Luc. 22. 32

Quomodo quislibet juſtus ſepties in die cadere dicatur.

q pſ. 5. 11.

r Job 1. & 2.

ſ Pr. 24. 16

t cap. 5. 11.

u 6. moral. cap. 8.

x lib. reſponſ ad capitula Gallorum, cap. 11.

y 2. Tim. 2. 26.

a lib. ad obje Vincentii n 7.

Allevavit Deus omnes, qui corruunt.) Hieron. *ſuſtentat Dominus omnes corruentes*. Vetus Pſalterium, & Aguſt., *confirmat Dominus omnes decidentes*. Pſalterium Ambroſ. *confirmat Dominus omnes ruentes*. Proſper, *confirmat Dominus omnes, qui decidunt*. Hilarius, *ſuffulcit Dominus omnes qui ruunt*. Alii, *omnes nutantes, aut qui caſuri ſunt*. Optime Hilarius expreſſit Græcum ὑποστηρίζειν: & Nicephorus aliter Græcè, τοὺς καταπεσεῖν μέλλοντας ἱδρύσαι ὥστε μὴ καταπεσεῖν, *caſuros firmat, ut non cadant*. Quod Appollinarius explicat πίπτοντας ἐγείρειν, *excitare*, ideſt, pronos ad cadendum, jam nutantes, & habentes; quod, ut retuli, alibi dicit de ſeipſo David *b*, *impulſus everſus ſum, ut caderem, & Dominus ſuſcepit me*: & de quolibet juſto *c*, *cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manuum ſuam*. Id ſibi quoq; vult hoc loco Arabica una tranſlatio, *Domine reclinare*, aut *requieſcere faciet omnes corruentos*, nempe impediendo, & anteverendo ruinam. Significat סומך *ſomech* inter alia fulcientem, ſtabilientem, ſuſtinentem, ſuſtentantem, confirmantem,

b pſ. 117. 13.

c pſ. 36. 24.

quaſi

quaſi manu impoſita deſuper, ne quis, aut quid cadat. A Redditur aliquando in Pſalterio noſtro, & in aliis libris per verbum *auxiliandi*, & *adjuvandi*, & *confirmandi*, & *ſuſcipiendi*, & *ſupponendi* a. Chaldæum hujus loci verbum סעד *ſabbid* ſimile Hebræo סעד *ſabbad*, ſignificat *ſuſtentare*, & ſimilia. Itaque *allevare* non eſt hoc loco levare illos, qui jam corruerint, ſed ſuſtentando efficere ne cadāt cùm nihil propius ſit, quā ut cadant. Qui corruunt, dicuntur Hebraicè הנּבלים *bannophelim*: de quorum allevatione cur hic mentio fiat, ex Rabbinorum ſententia memini præcedente verſu. Alia acceptio, ut ſignificat etiam gigantes, non facit ad rem præſentem.

Et erigit omnes eliſos.) Hieron., *jacentes*. Alii, & *dirigit omnes curvatos*, *curvos*, *collapſos*, *dejectos*. Hebraicè וזקף לכל הכפופים *vezoKeph lechol bacchephuphim*. Iterum pſalmo ſequenti b, repetitur hoc idem, nec alibi uſpiam, Græcè utrobique, ἀνορθοῖ πὰς κατεῤῥαγμένους. Nicephorus interpretatur, καταπεπτωκότας, *jam colapſos*. Apollinar., ὑπὸ ῥήγματος πεσόντας, *qui ſub ruina ceciderint ceciderint*, videlicet cum luxatione, fractione, aliqua vexatione, & afflictione. Siquidem κατεῤῥαγμένοι proprie importat rupturam, ut & ῥῆγμα locus eſt, ubi terra rupta dehiſcit, & apud Medicos ſolutio carnis in muſculis, venis, arteriis, ex ictu, gravi caſu, vel alio vehementi motu, vel diſtentione. Maximus Taurinenſis c, acute ſcribit de diabolo, qui ſuadebat caſum Chriſto d, cæcum fuiſſe quod non intellexerit conatum ſe illi ruinam ſuadere, qui non ſolum cadere non poteſt, ſed ruinas venit emendare lapſorum, prout videlicet hic habetur, & pſal. ſequenti e, ubi additur, quod *Dominus ſolvit compeditos*. Semper diabolus, ut ait Ambroſius f, Religioſos de ſuperioribus dejicere ad inferiora conatur, & de ſanctis, ac venerandis actibus deducere ad terrena, & cœnoſa, feſtinat, ut qui ſtat puritate mentis in ſummitate templi, projiciat ſe in profundum infernum, contagione peccati. *Cecidit lucifer* g, ſive *ſatanas*, *ſicut fulgur de cęlo* h, ſecumque *traxit tertiam partem ſtellarum* i: *dejicit de fortitudine* quos poteſt, & *de ſtellis*, & *conculcat* k: ſi quos tollit in altum, id facit, ut lapſu graviore ruant, quemadmodum accidit non ficte, ſicut Vulcano, ſed vere tum Jezabeli de feneſtra dejectæ l, cum ſatellitibus deorſum dejectis à Chriſto m, Simoni mago, idque ad interitum, non ad ſalutem; quo pacto etiam allevans allidit aliquādo n, & *elevans*, *quaſique ſuper ventum ponens elidit valide* o, etſi nonnumquam obſtinatos ſuperbos dejiciat in perditionem, dum allevāntur à ſemetipſis p. Vexat diabolus *quos apprehendit allidendo*, ita ut eliſi in terram volutentur q. Inſtigavit cives Chriſti, ut quod ipſe obticipitarent eum de ſupercilio montis r. *Beatus*, *qui tenebit*, & *allidet parvulos illius ad petram*, ut antea in alio pſalmo ſ, vidimus. Pertinet ad Deum, ut jam non ſemel hic monuimus, *impulſos*, *everſoſque*, *ut cadant ſuſcipere*: t ſi *ceciderint*, *ſupponere manum*, *ne collidantur* u. Projicietur tandem aliquando diabolus accuſator x, & cum ſuis præcipitabitur, *deſcendetque in profundum quaſi lapis*, & *plumbum* *. Nemo deſperet, nemo diffidat, nemo dejiciatur animo, *non lætabitur inimicus ſuper nos etiamſi ceciderimus*; *quoniam conſurgemus* y, opitulante Deo, ac erigente, manumque porrigente, ſi conſenſerimus. *Numquid qui cadit, non reſurget? & qui averſus eſt, non revertetur* z? Quem locum Jeremiæ Hieronymus, Theodoretus, Thomas, Hugo, aliique in commentario, prætereaque Chryſoſtomus a, & rurſum Hieronymus b, D alibi citans Jeremiam, & præſentem locum noſtrum, & Ezechielem c, apud quem negat Deus, velle ſe mortem peccatoris, declarant de ruina, & reſurrectione ſpirituali, ut qui peccando ceciderunt, non putent ſibi præcluſam viam reſurgendi à peccato ſuo, aut ſi fuerint averſi à Deo, non arbitrarentur non ſibi aditum parere, ut ad illum convertantur. Non verearis, ne te Deus recipiat, inquie Ambroſius d: non enim delectatur perditione vivorum, jam occurrens venienti tibi *cadit ſuper collum* e. Dominus enim erigit eliſos. *Septies in die cadit juſtus*, (ſi vere juſtus eſt, leviter; ſi graviter, nondum tamen pertinax, juſtitiæque plane adverſarius per odium directum illius) & *reſurget* f. Hoc unum ſocietatis emolumentum bonæ, ut *ſi quis cadat*, *habeat ſublevantem ſe* g.

a conſul. theſaur. — b verſ. 8 — c hom. 2. in Dom. 1. Quadrag. — d Mat. 4. 9 — e verſ. 8 — f ſerm. 26. — g Eſa. 14. 12 — h Luc. 10. 18. — i Apoc. 12. 4 — k Dan. 8. 10 — l 4. Reg. 9. 32 33 — m Joan. 18. 6 — n pſ. 101. 11 — o Job. 30. 22 — p pſ. 62. 18 — q Marc. 9. 17 — r Luc. 4. 29 — ſ pſ. 136. 9 — t pſ. 117. 13. — u pſ. 36. 24. — x Apoc. 12 9 — * Exod. 15. 10 — y Mich. 7. 8 — z Jerem. 8. 4 — a homil. 69 in Matt. — b in Micha cap 7 — c cap. 33. 11. — d in Luc. c. 15 — e Luc. 15. 20 — f Prov. 24. 16 — g Eccl. 4. 10.

Verſ. 15.) Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno.

Verſ. 16.) Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Sensus loci.

Liberalitas, & munifica de ſubditorum victu, vitaq; ſuſtentanda cura & providentia, virtus Regis tertia, eſt, ut ſcilicet non ad illorum opes inhiet, non vexet oneribus tributorum, non extorqueat vi, vel arte pecunias eorum, non redigat ad egeſtatem, non ſubtrahat convenientem, & opportunam alimoniam, ſed aperta & larga manu ſuppedicet affatim neceſſaria, hominiq; pecoriq; & cunctis animalibus, quæ uſibus humanis conducunt. Generalis autem hęc ſententia Deo competit, qui dat per cauſſas ſecundas creaturaſque ſubjectas ſibi eſcam omnibus ea egentibus, juxta tempeſtates varias anhi variam: & dat, ut homines comedant tempore opportuno, non quum libet, comeſſationi crapulęq; indulgendo: & dat, ut poſtquam neceſſitati, aut honeſtæ quoq; ac decenti, non effuſæ voluptati ſatisfeceris, eſcas tuas juſte partas, non B recondas, ſed cum aliis communices: & dat quoties expedit, tamquam bonus perituſq; medicus, ut Auguſt., Proſper, & alii docent: quoniam nonnumquam ſterilitatem, caritatem penuriam immittit, ut peccata puniat; & dat nonnullis animalibus nocte, aliis die, ut innuitur in alio pſalmo h, & dat quibuſdam quotidie, aliquibus in integros menſes, maxime hybernos. Egent nihilominus fere ſemper adeo multi, tum ob dictam divitum iniquitatem, & communia hominum peccata: tum quia pauperes ipſi vel quæ lucrantur profundunt ludendo, laſciviendo; convivando: vel plura expetunt in victu, veſtituq; quam exigat ipſorum ſtatus: vel dolo, fraude malis artibus, vitam ſuam procurant: vel demum vitiis, ac perditis moribus dediti ſunt. Celebravit noſter Propheta jam in pſal. 103. i eamdem Dei munificentiam in paſcendis omnibus animalibus: & poſtea in 146. k *in jumentis & pullis*, etiam *cervorum*: in 22. l autem univerſe pronuntiavit, regi ſe, ſive paſci à Domino, ita ut nihil deſit, ſed ſit in loco paſcuæ collocatus, ſuper aquam refectionis educatus, parata in conſpectu ſuo menſa inſtructus, calice inebriante, atque præclaro donatus. Ibi de hoc argumento C benignæ providentiæ Dei, nonnulla dixi; ut & ad actuū Apoſtolorum c. 14. m ubi Paulus in quadam concione affirmat *dediſſe* Deum *pluvias*, & *tempora fructuum*, *implēdo cibo*, & *lætitia corda noſtra*: prætera hinc inde ad alios pſalmos. Affirmavit Chriſtus ipſe à patre noſtro cęleſti paſci volatilia cœli n. Myſticè locus hic à Caſſiodoro, Brunone, aliiſque de cibo ſpirituali accipitur, quem Deus providet, ac quidem opportune & congrue in vita præſenti nonnullis in morem lactis, aliis ut ſolidum cibum, omnibus, ut animalia ſunt ad paſtum apta, qui mitibus, & jugo aſſuetis præbetur; & hujuſmodi, quæ benedici proprie poſſint atque benedictionis propriam vim percipere, & avide intentis in Deum oculis, ab illo, cibum ſpiritualem præſertim ſperare & flagitare: ab illo, inquam, velut à Patre quem in cœlis profiteantur eſſe. ſeſeque ſtudioſos honoris, regni voluntatis ipſius o. *Pater noſter paſcens animalia* p, quanto magis paſce hominem corporaliter, propter quem fecit illa? quanto magis ſpiritualiter, cùm quærenti regnum, & juſtitiam ipſius, cetera bona externa adjicienda polliceatur q? ſpiritualem D cibum partitur Deus tamquam *tritici menſuram* r, cuiq; prout vult, ac negat, ſubtrahit, concedit, adjungit, imminuit ſapientiſſime, quemadmodum cuivis expedit. Id Auguſt. exemplis demonſtrat diaboli, cui petenti conceſſum tentare Job ſ, Job, cui ablatæ facultates, liberi, ſanitas t, deinde reddita omnia etiam cum fœnore, opportuno tempore: Pauli, cui negata liberatio à *ſtimulo carnis* u: ipſiuſmet Chriſti, qui *tranſire calicem à ſe* poſtulavit ſed tamen adjiciendo, ut *non ſicut volebat fieret*: *ſed ſicut Pater* x. Attendite, inquit, fratres mei magnum myſterium diſcendū, repetendum, tenendum animo, numquam obliviſcendum propter abundantiam tentationū in iſto ſæculo. Inde jam è cœlo Chriſtus ut *aquila contemplatur eſcam* y, Eccleſiæ ſuæ, qua veſci, & ſaſtentari queat, atque illius filios provocat, ut quęrant ab eo eſcā ſibi, oculis ad ipſum intentis: immo & hoc reſpicit velut cibum electum z, ut Hieron. a, intelligit, quos paſcat, & quibus paſcatur, ac in ſeipſum convertat, non ſolū largiendo ſeipſum in Euchariſtia, ſed etiam tandem transformando quodammodo per viſionē beatificā. Ceterum apte, pie, ac rite

h pſ. 103. 14 15. 22. 27. — i verſ. 27 — k verſ. 9 — l verſ. 1. 2 — m verſ. 36 — n Mat. 6. 26 — Senſus myſticus. — o Mat. 6. 9 10. 11. 12. — p verſ. 26. — q verſ. 33. — r Luc. 12. 42 — ſ Job. 1. 12 — t cap 1. & 2. — u 2 Cor 12. 9 — x Mat. 26. 39 — y Job. 39. 12 — z Abac. 1. 16 — a ibid. & in Amos 3. — Orationem cibis præmittendam gratiaſque poſt refectionem Deo referendas eſſe, Chriſti Apoſtolorū aliorumq; oſtenditur exemplis.

rite conſecrationis, benedictioniſve menſę in prandio viri A religioſi exordium ducunt ab his duobus verſiculis, agnoſcentes, & confitentes quantumvis laborem calamitoſi mortales, ac ſudorem in parando inſumant cibo, juxta æquam judicis Dei poſt primam prævaricationē, ſententiam a: tamen *neque qui plantat eſſe aliquid*, *neque qui rigat*, *ſed qui incrementum dat Deus* b: ita ut ipſe dare eſcam cenſeatur, in eum oculi omnium ſperare debeant, ut det eſcam, atque aperta manu impleat benedictione ipſemet Chriſtus, qui finita hymnum dixit cęna, c, ut gratias ageret, quoties exhibebat cibum aliis ſive communem d, ſive myſticum e, elevatis in cęlum oculis, benedicebat, & gratias agebat; & quod attinet ad myſticum, à gratiis agendis εὐχαριστίαν cognominatum volunt, ſive comedamus, ſive bibamus, ad Dei gloriam id nos Apoſtolus facere jubet. Athanaſius f vult, ubi ſederimus ad menſam, & frangere panem cœperimus, ter eam conſignemus prędcriptis quibuſdam verbis: cumque ſurrexerimus, ter etiam recitemus aliam orationem. Baſilius g, monet, ut accumbentes menſæ oremus, panemque eſitantes largitori gratiam rependamus: adjicit præterea h, tum exemplum Chriſti i, de quo dixi; tum aliam Pauli K, ſententiam, nihil rejicen- B dum ex Dei creaturis, quod cùm gratiarum actione percipitur. Opus eſſe Chryſoſtomus l, ait, nos & menſam petentes, & deſiſtentes, Deo gratias agere; quoniam ad hoc paratus numquam in ebrietatem decidet, aut inſolentiā, numquam crapula diſrumpetur, ſed orationis expentionem pro fræno ſenſibus habens impoſitam, cum debita modeſtia ex omnibus appoſitis ſumet; & multa quidem animam: multa vero benedictione corpus implebit. Argumentatur etiā à minori, quia ſervos nobis gratias agere, ſi quam appoſitorum patrem à nobis accipiant, nos autem non Deo, abſurdum ſit, ſed & porcos m, vocat, qui id prætermittant. Idem præceptum tradit Ephrem n, & Ambroſius o, hicque eodem illo argumento utitur ex ſervis p. Scribit Tertullianus q, quod non prius diſcumbebatur, quam oratio ad Deum prægustaretur, & ęque oratio convivium dirimebat. Inter decreta Martini Bracarenſis Epiſcopi unum eſt, non oportet clericos, niſi hymno dicto comedere panem, & poſt cibos gratias auctori Deo referre r Similis canon Conc Nannetenſis ſ, ut in convivio, cui Presbyteri interſint, aliquis prior illorum verſum ante C menſam incipiat, & cibum benedicat, & poſt refectionem ſimiliter ſanctum hymnum dicant ad exemplum Domini; ſicut in cęna fęciſſe legitur. Philo t, Judæus, ſive Judæos ſuos religioſiores deſcribit; ſive potius primos illos Chriſtianos, refert, priuſquam diſcumberent, ſolitos precari, ut placeret Deo convivium ſublatis in cęlum oculis manibuſque illis quidem, quoniam didicerant cœleſtia; iſtis utpote incorruptis à muneribus, & à quæſtu illicito. Quid? quod Gentiles menſam inter ſacras res habebant, & accubituri conſecrabant ἀπαρχὰς *primitias* diis ſuis quaſi vitæ ac victus datores recognoſcerent? Meminit Plutarchus u. Heſiodi quoque monitum eſt,

Neu comede ex illa quæ non benedicta patella eſt.

Quod minime ſervatū à Vitellio Svetonius x, reprehendit: Guloſos item & avidiores habitos prodit Athenæus y, qui aliquid antequam immolatum fuiſſet, comediſſent: ſæpiuſque de more illo mentionem z, facit, ut & Heliodorus a, Livius b, Porphyrius c; Stobæus d. Hic Diotogenem Pythagoricum refert in libro de ſanctitate ſcripſiſ- D ſe, decere in principio cęnæ, & prandii Deum invocare, nō quod precibus ipſe indigeat; ſed ut animus noſter Dei recordatione illuſtretur; quando quidem enim à numine deſcēdimus, ex eo participamus, dii nos judicant, & merito nos omnia juſte agere volunt ἐπιτελέειν δ' ἡμῖν πράγματα πάντας. Luit monialis, de qua Greg. e, aviditatis profanæ pęnam, à diabolo mox occupata, ut lactucam guſtavit, ſigno crucis non præmiſſo Chryſoſt. f, uſitatam benedicendi menſam à monachis formulam recitat, & explanat: *Benedictus*, *qui paſcis me à juventute mea* g: *qui das eſcam omni carni* h, *imple gaudio & lætitia corda noſtra* i, *ut omnem ſufficientiam habentes abundemus in omne opus bonum* k, *in Chriſto Jeſu Domino noſtro cum quo tibi gloria*, *bonor*, *& imperium cum Sancto Spiritu*, *in ſæcula*. *Amen*. Finita vero menſa, gratiæ ſic agebantur. *Gloria tibi Domine*, *gloria tibi Sancte*, *gloria tibi Rex*, *quoniam dediſti nobis cibos in lætitia*: *imple nos Spiritu ſancto*, *ut inveniamur in conſpectu tuo bene placentes*, *non erubeſcentes*, *quando reddes unicuique ſecundùm opera ſua*. Athanaſius l, for-

a Gen. 3. 19 — b 1. Cor. 3. 7 — c Matt. 26 30 — d Matt. 14 29 cap. 15. 36 Marc. 6. 41 cap. 8. 6 Luc. 9. 16 Joan. 6. 11 13 — e Matt. 26 27. Mar. 14 24. 23. Luc. 22. 17. 1. Cor. 15. 24 — f de virginit. — g or. in mar. Julittam & epiſt. ad Nazianz. — h in moral. regul. 6. c. 2 — i Matt. 14 19 — k 1. Tim 4. 4 — l hom. 70. ad pop. — m hom. 83 in Matth. quem vide etiam in Marci 14. & homil. 50. ad pop. — n tom. 1. in adhort. p. 25 — o 3. de Virginib. — p ſerm. inc. 7. Job. t. 2 edit. Rom. pag 62. vel ſerm. 48 vet. edit. — q Apolog. cap. 39 — Mart. Epiſ. Bracarenſis de benedictione cibo præmittenda, & de gratiis poſt refectionē Deo referendis decretum. — r d. 44. cap. non liceat. — ſ c. 11. & refertur d. 44 c. quando autem. — t de ſupplicibus. — u 7. Symb. q. 4. & quaſt. Rom. q. 64 — x in Vitellio cap. 13 — y lib. 6. cap. 2 — z l. 1. c. 9. l. 2 c. 1. l. 4. c. 9 l. 8. c. 13 — a 2. Æthiop. — b lib. 39 — c 4 de abſtin. ab animalibus. — d ſerm. 41 — e 1 dial. c. 4 — f hom. 5. ad pop — Formula benedicendi menſam. — g Gen. 48. 15 — h pſ. 135. 25 — i Act. 14 17 — k 2. Cor. 9 8 — Poſt cibos gratias agendi formula.

A mulam benedictionis eamdem recitat: ſed ubi qui ſedens ad menſam inceperit frangere panem, ter cruce conſignari præcipit, & his verbis gratias agere: *Gratias agimus tibi*, *Pater noſter*, *de tua ſancta reſurrectione per Jeſum Filium tuum per quem nobis notam eam reddidiſti*; *& quemadmodū hic panis olim multis ſeminibus diſperſus*, *nunc autē coactus unum quiddam redditus eſt*, *ita ut quoque congreges Eccleſiam tuā à finibus terræ in regnum tuum*: *quoniam tua eſt potentia & gloriā in ſæcula ſęculorum*. *Amen*. Addit ut cùm panis in menſa ponitur, menſæque aſſidemus, precationem dominicam integram recitemus. Collegimus horum nonnulla ex Joanne Stephano Duranto m, Alphonſo de Torres n, Lælio Biſciola noſtro o,

Oculi omnium in te ſperant Domine.) Hieron. in Bibliis Regiis *ad te*; apud Treverum, *oculi eorum*, cùm tamen teſtetur Hebr. eſſe, *omnium* ut revera eſt, nempe כל *chol*. Sic alibi, *oculi* p, *mei ſemper ad Dominum* q. *Ad te levavi oculos meos*: *oculi* r, *noſtri ad Dominum Deum noſtrum*: *ad* ſ, *te Domine oculi mei*. Simili autem ſenſu cecinit etiam David de catulis leonum *rugientibus ut rapiant*, & *quærant à Deo eſcam ſibi* t: præterea de omnibus quæ ab ipſo ex B pectant, ut *de illis eſcam in tempore* u; quoniam, ſicut hic mox additur, *dat eſcam illorum*, & alibi, *dat eſcam omni carni* x, *dat eſcam eſurientibus* y; *dat jumentis eſcam ipſorum*, & *pullis corvorum invocantibus eum* z. Si ſpes proprie accipiatur, convenit, hæc ſententia homini ſoli viatori, ſperanti bonum omne à Deo; ſi metaphorice, atque communiter pro quacumque expectatione, ſeu naturali affectione boni futuri; brutis quoque ſic ſperare congruit à Deo bonū ſuæ ſuſtentationis, atque naturæ neceſſariū, & expectare naturali quodam motu, quia non puſſunt habere eſcam niſi ab illo, cui cura eſt de omnibus. Hoc modo Rickelius. Atque idem eſt de aliis phraſibus recitatis, ut quærant bruta eſcam à Deo, ut expectent, ut rugiant, aliterve clamet, & invocent. Significat futuri temporis verbum Hebræum ישברו *ieſaaberu*, & participium Chald. מסברין *meſabberin*, *expectare*. Apud Eſaiam a, eſt idem verbum, ubi habemus, *non expectabunt qui deſcendunt in lacum veritatem tuam*: & Forerius vertit *non intuebuntur*: quoniam quę expectat quis, ea fixis intuatur oculis. Spes quomodocumque ſpectetur in quovis animali, cernitur maximè in oculis; quia hi nuntii ſint interno- C rum affectuum, & proſpiciunt, unde, vel à quo ſuccurri queat neceſſitati: nec ullus naturalior geſtus in famelico, quam directis, ac intentis oculis, quaſi emendicare ſtipem, quod nos pręcipue domeſticum canum docet exemplum. Sed & inedia cibique neceſſitas oſtendit ſeſe in oculis deficientibus ſpiritu animali vacuis, caligantibus. Cujus oppoſitum Jonathas, melle guſtato expertus eſt, ut *oculi ejus illuminarentur* b. Hac ratione pſ. 87. dicuntur *oculi languiſſe præ inopia* c, apud Jer. d, *defeciſſe onagrorum*; & *draconum*, *quia non erat herba*: Job e, demum negat ſe *oculis viduæ expectare feciſſe*, ſcilicet oculos, qui lacrymis, & lamentabili quodam habitu geſtuve, aut depreſſione; & ocultatione ad interiores partes præ macie, ſicut & Ezechias oculos ſuos lamentabatur *attenuatos* vi morbi, dum ſimul *ſuſpiceret in excelſum* f, & remedium à Deo flagitas expectaret) calamitatem i dicabant, opemque implorabant, quod cùm LXX. vertant οὐκ ἐξέτηξα *non tabefeci*. Nicetas exponit, nō ſum paſſus egeſtate aut lacrymis, aut aſſiduo oculorum conjectu, intentioneque contabeſcere. Significat igitur expectatio, & ſpes oculo- D rum, vehemens deſiderium, cum quodam quaſi animi defectu, atque deliquio; quemadmodum & in citato Jeremiæ loco, ubi eſt *deficiendi* verbum, & in pſalmo 118. g, in quo etiam dicuntur *oculi deficere*, & in 83. h, ubi *anima concupiſcere*, & *deficere*. Quoties attendimus diligentius ad aliquem, ut vel excipiamus verba, vel commodum aliquod, oculos in eum intendimus, ac defigimus, ut de *ſervorum*, & *ancillæ oculis in manibus dominorum dominæ ve* in alio cecinit pſalmo David i, narratque Lucas k, quod *in Synagoga omnium oculi erant intenti in Chriſtum* cum, plato libro, ſediſſet, ut ſermonem haberet ſuper locum Eſaiæ: refert præterea juſſiſſe Petrum claudo intuenti ἀτενίσαντα fixis, & immobilibus oculis lenibus, benignis, plenis commiſerationis, roganti eleemoſynam ut reſpiceret in ſe, & in coapoſtolum Joannem l. Vidimus quoque alias indicari, quod quis ſperet, quando dicitur *reſpicere in aliquem*; *ad aliquem*, *poſt aliquem*, *& ad adjutorium hominum* m, *reſpicere*, *& levare caput* n; quoniam è contrario, deſperabundis concidit, ſicut Cain o, vultus.

l de Virginit — Alia benedictionis formula. — m de ritibus Eccleſ. cap. 48. num. 31 — n in inſtitut ſacerdot. c. 2 § 3 — o tom. 2. hor. ſubceſiva. l. 2. cap. 6 — p pſ. 24. 15 — q pſ. 122. 1 — r verſ. 2 — ſ pſ. 140. 8 — t pſ 103. 21 — u verſ. 27 — x pſ. 135. 25 — y pſ 145. 7 — z pſ. 146. 9 — a cap. 38. 18 — b 1. Reg. 14 27 — c verſ. 10. — d cap. 14. 6 — e cap. 31. 16 — f Eſa. 38. 14 — g verſ. 82 — h verſ. 3 — i pſ. 121. 2 — k cap. 40. 20 — l Act. 3. c. 3 4. — m Eccl. 51 10 — n Luc. 21. 28 — o Gen. 4. 5

Et